


V. Observaciones *nonnullæ singulares* Anni *MDCCCXXXIII. tam Astronomicæ, quam Physicæ, & Meteorologicæ, ab Joh. Frid. Weidlero, Prof. Math. Pr. R. S. S. Vitembergæ factæ.*

1. **O**bservatio conjunctionis Saturni & Martis. Die 5 Febr. vesperi Hor. 7 m. 30, visi sunt duo illi planeta cum stella E \times Beieri in eadem recta linea.



♄ δ $2^{\circ} 15'$.

δ E \times 1. 12. 30".

2. Die 19 Febr. vesperi h. 7. 15'. notata fuit distantia δ ab \circ \times , nempe \circ \times δ $1^{\circ} 17' 30''$. Mars distabat à stella versus Septentrionem.

3. Lenitas hiemis precedentis Mensibus Febr. & Martii febres catarrhales epidemicas peperit.

4. Mensis Martii d. 14. frigus solito asperius, quod illo die experti fuimus, ventus N. E. duos ante dies impetuosissimus attulit.

5. Observatio Eclipsis Solaris die. 2 Maii St. V. facta separatim Inclutæ Regiæ Societati oblata fuit & in Trans. No 233, invenienda est.

6. Maii die. 3. Dicitur *Aurora Borealis* luxisse.

7. Maii

7 Maii die 5. frigus nocturnum vites laesit & juglandes etiam segetes passim locis maxime humilioribus exussit, ut spicæ postea granis carerent.

8. Junii die 26. vesperi *Aurora Borealis* luxit, & solitas pyramides circa h. 12 noctis ejaculata est.

9. Octobris die 27. iterum lu it *Aurora Borealis*. Vesperi illius diei circa Hor. 7. arcus niger, alba fascia tectus, sub septemtrionibus apparebat. hor. VIII. 30'. Zona candida nigro arcui incumbens sensim altius expandebatur, circiter usque ad altitudinis gradum 40. atque hæc regio lucida tranquilla usque ad hor. X permanebat. post hor. X. passim ex tractu candido radiationes pyramidales, celeriter emicabant, nebulae quoque undarum instar per cœlos provolvebantur, quin visus aliquando est totus margo candidus instar undæ lucidæ versus polum affurgere. Hæc undulatio materiæ lucentis, permixtis subinde radiis pyramidalibus, lucida illa regione multo clarioribus, durabat usque ad hor. XI. tota materia lucida sensim paulatimque versus ortum promovebatur, in cuius locum nubes atræ distractæ versus occasum succedebant. Paulo ante hor. XI. prope N. W. nubes alba diutius lucebat, & subinde rubebat, materia quoque ejusdem undulabat. cessavit spectaculum post h. XI. aër tempore apparitionis tranquillus passim quoque Stellæ per candidam regionem translucebant: Notabile mihi visum est, quod die proxime sequente cœlum caliginosum & pluviosum fuerit, item quod Noctu post diem XXIX ventus longe impetuosissimus & procellosus sævierit, cum alias post auroras boreales insigniores ferentior plerumque tempestas sequi solet.

Idem *Auroræ borealis* phænomenon etiam Stockholmii in Suecia annotatum fuit.